



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ad Leonem X. Pontificem Maximvm**

**[Straßburg], 1519**

**VD16 L 3409**

Conclusio LXVI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34717**

DVLGENTIARVM AD LEONEM X. P. M.

mus, quia ex nouissimis facit primos.

QVIA docet horrere pœnas, immo facit liberos a pœna, quod est solûmodo iustorum. Nullus enim indiget indulgentijs, nisi seruus pœnarum, id est, qui non calcat eas, contemptu superbo eis dominans, sed premitur illis & fugit eas, sicut puer ab umbris noctis & tenebrarum, & tamen permittuntur liberi, cum iusti etiam subiecti sint pœnis uarijs.

CONCLVSIO LXV.

Igitur thesauri euangelici rhetia sunt, quibus olim piscabantur uiros diuitiarum.

SIC enim Apostolus, Non quero uestra, sed uos. Et Christus faciam uos fieri piscatores hominum, uerbum enim dulce, trahit uoluntatem, immo facit uoluntatem hominis in Christum. Vnde S. Petrus in urbe pictus piscator, dicit, Ecclesiam pro naue rego, mihi clisata mundi. Sunt mare, scripturæ, rhetia, piscis, homo.

CONCLVSIO LXVI.

Thesauri indulgentiarum, rhetia sunt, quibus nunc piscantur diuitias uirorum.

HANC puto ex dictis clarâ, quia per remissiones pœnarum homo nō fit melior, nec trahitur plus ad deū (hoc enim solo uerbo Christi fit) cum sint uerba hominis, dantis licentiâ ac relaxationem magis q̄ capientis & ligantis. Quod si aliquid capiunt, certe nihil nisi pecunias, non aut animas capiunt. Non quod damne istud negotiū pecuniarū, contribuendarū, immo meo iudicio, uidetur, dei prouidentia id curare in isto negotio, ut cū sit uilissimū inter dona & officia ecclesiæ, nec dignū in futura uita coronari, saltem in hac uita, uel modica pecunia remuneret, ut nihil maneat irremuneratū, q̄q̄ olim gratis fiebāt relaxationes.

CONCLVSIO LXVII.

Indulgentiæ, quas cōcionatores uociferant maximas gratias, intelliguntur uere tales, quo ad quæstū promouendū.

SIC enim audet audax ignorantia, ut maximū uocet, quod minimum est, & relinquitur tum populo iudicium, & facultas